

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XXXVI.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

GEORGIO FIEDLERO,

Islebiensi Saxone.

Dominica V. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegely

Dno Vnger

VIRIS

*Amplissimis, virtute, prudentiâ, multoq[ue]
rerum usu Eminentissimis*

Dnn. CONSULIBUS, JUDICI, nec non toti
SENATUI Laudatissimo, Reipubl. Nea-
pol-Islebiensis.

VIRO item

Prudentissimo & Spectatissimo

Dn. SEBALDO ROBERO, liberi Prædij in
Ophausen possessori, promotori suo
ætatem colendo.

nec non

*Reverendis admodum, Clarissimis pietate &
eruditionis laude insigniter condecoratis*

Dn. GOTTFRIDO NICANDRO, pastori ad
D. Annam Neapol Islebico, uti & Con-
sistorii Mansfeldici Assessori dignissi-
mo, Fautori suo jugiter amando.

Dn. JOHANNI OPITIO, Ecclesiæ ejusdem
Diacono fidelissimo, confessionario di-
lectissimo.

*Dnn. Mæcenatibus, Patronis & Promo-
toribus omni animi observantiâ &
cultu honorandis & suspiciendis
hasce studiorum suorum primitias in
grate mentis indicium, & studiorum
suorum testimonium*

dicat, dedicat, consecrat

Georgius Fiedlerus, R.



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA V. POST TRI-
NITATIS.*Luc. 5. à v. 1. usq. ad 12.*

ANTELOGIUM.



*T*obias Raphaëlis jussu feliciter
piscatus est Tob. 6, 4. Petrus jussu
Domini nostri Jesu Christi longè
felicius, dum non tantum pisces,
sed tantam multitudinem cepit, ut duo navi-
gia repleta, quin hominum piscator factus fue-
rit. Id quod uberius declaratur in Evangelio.

THESIS I.

*In quo habetur partim Christi prædi-
catio, ubi occurrit tum turbæ congregatio,*

L

V. I.

1. In quo est causa tum impulsiva, ubi summam; factum est autem. Nempè, postquam Dominus multis impartivit varia genera sanitarum, nec tempore, nec loco capit à sanandi studio turba cohiberi. Vespera incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, urgebant, ait Ambros. lib. 4. in Luc.

2. Explicatim; cùm turba immineret ei, seu incumberet ei. Audiendi & visendi cupiditate, ut amplius in littore salvis stare non posset. Unde ardor colligitur & intelligitur populi.

3. Causa finalis: ad audiendum verbũ Dei. Incubuerunt quasi in illum Discamus igitur exemplo huius turbae libèter audire verbũ Dei; non fecerunt ex curiositate, ut viderent saltim miracula ceu de illis Joh. 6, 2. dicitur; sed ex discendi cupiditate, dum nec indigentia, nec loci angustia, nec temporis necessitate retardantur, sed sequuntur eum. In quo, inquit Rudolphus Ardens, confunditur torpor & tarditas nostra, quia ad audiendum verbũ Dei vix convenimus; convenientes vix audimus; audientes vix in opere exsequimur. Unde Chrysostr. inquit homil. 29. in Gen. quo pacto non absurdum, eos qui ad seculares nundinas veniunt, sollicitos esse, ut antequam redeant,

deant, omnia, quae ex mundanis oportet, capi-
ant, licet pecunie impendenda sint: huc autem
in spirituales has mundinas venientes, non omne
studium impendere, ut acceptis utilibus & in
anima depositis redeant; maxime cum nullo
pecuniarum sumptu hic opus sit, sed alacritate
sola & intenta mente. Ideo monet Aug.
tract. de rest. cath. convers. *Omni die domi-
nica ad Ecclesiam convenite, & non causas &
rixas vel otiosas fabulas agatis; sed lectiones
divinas cum silentio auscultate, & pro Eccle-
siae pace ac peccatis vestris orate. Qui enim in
Ecclesiis fabulari non timet, pro se & aliis red-
diturus est rationem, dum nec ipse verbum
Dei audit, nec alios audire permittit. In simul
laudanda est turba, quae verbo Dei delecta-
tur; quia nihil illo dulcius, nihil etiam melius*
Psal. 119, 103.

4. Circumstantia est tum quoad si-
tum: Et ipse erat stans. Siquidem & stando
& sedendo illud ipsum praestitit; nam versu 3.
sedisse, uti hic stetisse dicitur. Ut discam 9, nul-
lam intermittendam esse occasionem docendi
verbum Dei, modo ordine fiat 1. Cor. 14, 33. inde
& cathedra à sedendo. Unde inquit Ambros.
in c. 14. 1. Epist. ad Corinth. *sedentes dispu-
tant in cathedris, sequentes in subselliis, novis-*

fini super mattas. Discant hîc ministri Eccle-
siae, ut & ipsi verbum Dei doceant, non huma-
nas traditiones, quibus frustra DEUS colitur
Matth. 15, 9. non philosophiam inanem Col.
2, 4. non oppositiones falsò nominatae scientiæ
1. Tim. 6, 20. nec se ostentent in sapientia ver-
borum 1. Corinth. 1, 17. neq; in sublimitate
sermonis 1. Corinth. 2, 1. caveantq; inutiles
questiones 1. Tim. 1, 4. sed amplectantur do-
ctrinam Dei Tit. 1, 9. & eam confirment scri-
pturis sacris Sir. 14, 22. loquantur eloquia Dei
1. Petr. 4, 11. auditorum captui se accomodent
1. Cor. 3, 1. Hebr. 5, 11.

5. Quoad locum: juxta stagnum Ge-
nezareth. Quod non procul ab urbe Bethsai-
da, Capernaum versus. Dictum autem aliàs
mare Tiberiadis Joh. 6. 2. quia civitas Tibe-
rias ad littus ejus sita, quam Herodes Antipas
instauravit, & in honorem Tiberij Caesaris sic
appellavit Matth. 4, 18. Dicitur verò mare
Galilæe, secundum morem Hebraeorum, qui
quamvis aquarum collectionem mare nomi-
nant Gen. 1, 9. Genezareth autem dicitur à
terra continente, & à chinereth sive chene-
reth, quod denotat citharam, vel propter so-
num, vel propter formam. Hodie ab accolis
lacum Tabaria vocari, notat Niger Georg.
As.

Al. com. 4. Toto autem ambitu suo viginti millia passuum completi, scribit Niger allegato loco, per cuius medium Jordanes fluvius piscosissimus non tantum fluit, sed & ipse aquas dulces fecundas & potabiles habet, juxta hunc habitabant piscatores. Est Typus Ecclesie; nam & in Ecclesia sua est baptismus seu aqua salubris Zach. 13, 1. est sonus suavissimus Sir. 40, 21. est frequens piscatura Jer. 16, 16. est Christus inibi Apoc. 1, 12. ut ita quovis in loco occasio docendi sit arripienda. Ita docuit in deserto Marc. 6, 32. in monte Matth. 5, 1. in domibus Marc. 2, 1. in Synagogis Luc. 4, 15. in convivis Luc. 14, 3.

6. Et collatio v. 2. In quo quoad res seu naves, quoad situm: Et vidit duas naves stantes, Joh. 6, 19. quidem & Matth. 14, 26. Christus sicco pede in mari ambulat; Sed cum exinanitionis tempore majestatem suam semper manifestare noluerit, observat adesse naves & legitimo medio uti vult, ne semper miracula, quamvis tamen adfuerit etiam, faceret.

7. Quoad locum: ad stagnum. Per Synecdochen generis intelligitur Genezareth, de quo modo dictum. Delectatus autem plerumq; aquis Christus.

8. Quoad personas, quarum describitur effectus: Et piscatores descendentes ex eis. *Quia cessaverant piscari. Non enim, quod caret alternâ requie durabile.*

9. Abluebant retia sua. *Pro more solito ne corrumparentur adhaerentibus squalidis materiis, sed ut ea siccaent & iuxta littora explicarent. Ut discamus fideliter asseruare nostra & curare, simulq; agnoscere laborandum esse.*

10. Consequens est tractatio v. 3, in quo praemittitur tum factum in genere: Ingressus autem in unam navim. *Quia oppressus & obrutus multitidine circumstantium. Est autem illa navis, qua adhuc secundum Mattheum fluctuat; secundum Lucam repletur piscibus, Ecclesia, qua pleno Dominicae crucis velo sancti Spiritus afflatu in hoc bene navigat mundo, ait Ambrosius libr. 3. de virginib.*

11. In specie describitur à relato possessore: quæ erat Simonis. *Quia ejus consuetudine ante annum & amplius uti cœperat Joh. 1, 42. Et quia per Simonem ipsum homo Deo perfectè obediens significatur. Deinde per navem ipsam, habet Taulerus serm. 3. in Dom.*

Dom. Tr. mens intima fundumq; hominis accipiendum est, in quo Dominus.

12. Et à petito, quod continet modum; rogavit cura. Non imperavit. Ut doceret, licitum non esse rapere aliena, quamvis ipse fuerit Dominus universi. Sic Dominus petie asinam Matth. 21, 3, ut discamus, nemini quicquam vi auferri debere, uti Tyranni faciunt, qui pro libitu, nulla justitia ac aequitatis ratione habita agunt & exigunt violenter, quod volunt, pauperibus injuriam faciunt. Sic 27, 1. domus & virum diripiunt Mich. 2, 2. plebem devorant Psalm. 14, 14. Verùm his graviter irascitur Deus Ela. 57, 17. Et va ipsis dicit Es. 33, 1. neq; ipsos tolerabit Sir. 35, 23. sed ex regno suo raptores hos excludet 1. Cor. 6, 10. si enim in ignem immittitur, qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui invasit alienam? si cum diabolo ardet, qui nudum non vestivit, ubi putas arsurus est, qui exspoliavit? August. de verbo Dom. serm. 20.

13. Et scopo; ut à terra proveheret paululum, Quod significat non temerariè utendum verbo, habet August. libr. 2. quæst. Evang. c. 2. ut nec terrena eis præcipiantur; nec sic à terrenis in profundiora Sacramentorum recedatur, quò ea penitus non intelligan-

zur, vel prius in proximis regionibus pradi-
candum.

14. Exponitur affectus: Et sedens
docebat de navi turbas. Antea steterat,
modo sedet. Siquidem non est loco alligatus;
Innuere tamen voluit, eundem Dominum no-
strum Iesum Christum in aeternis illis edibus
residere, ubi est gaudium & quies, ait Taule-
rus serm. 3. in Dom. Trin. Petrus fuit pesca-
tor, Ioseph fuit faber lignarius, &c. neq; ho-
rum opera carere potest vita humana Sic. 38,
36. unde inquit August. lib. de opere Mo-
nast. c. 17. Multi ex conditione servili &
vita rusticana, & ex opificum exercitatione
& plebeo labore verè magni & imitandi ex-
citerunt: nam propterea infirma mundi elegit
Deus Aug. c. 17. ut manibus operantes divina
cantent carmina, quod facile possunt & ipsum
laborem tanquam divino celestiate conso-
lari.

15. Partim est Petri piscatio, tum cor-
poralis, ubi colloquium, in quo Christi ius-
sus sive imperatio. v. 4. in quo tempus: ut
cessavit autem loqui. Nam modus observan-
dus, quemadmodum monet Athanas. hom. de
serm. dum inquit: Nobis celeriter hinc per-
curranda historia, ne per longitudinem fasti-
dio

dio simus auditori, nisi necessitas flagitet, quemadmodum Actor. 10, 27. & 28, 23.

16. Et effectus, cuius antecedens: Dixit ad Simonem: duc in altum. Voluit enim Christus pro more confirmare concionem suam miraculo, simulq; se gratum praebere pro beneficio. Et quamvis pisces soleant littori esse viciniore, tamen mirabiliter duci voluit navim in profundum. Unde Ambros. lib. 4. in Luc 5. Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum: Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei filium? Et duc in altum, habet idem lib. 3. de virgin. quia antea erat in arena, quando in synagoga erat. Alia non erat aqua Iudae. Duc in altum, id est, ad Christum. Altus enim Christus, de quo dicitur apud Joh. 1, 7, 6. Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Duc ergo ad Christum & bene in altum, in quo altitudo est sapientiae & scientiae Dei. Ibi ergo alta aqua, ubi Christus est, id est, fides. Necesse est verò, habet Taulerus, ut cor hominis, qui tamen infimus gradus à terra, id est, ab omni terrenarum ac labentiuni rerum amore, in quibus homo aliquod solatium, gaudium, oblectationem natura inordinatius, captare posset, ducatur in altum.

17. Consequens; Et laxate retia vestra in capturam. Hoc est funibus dimittantur retia magna, quemadmodum apud Marcum legitur; ut doceant Deo placere opera vocationis non negligere, qualiacumque sint Ps. 128. 2. Sunt autem retia Apostolorum collectiones verborum secundum Ambros. Et quasi quidam orationis sinus & disputantium recessus, qui eos, quos ceperint, non amittunt, nec captos perimunt, sed reservant; Et de profundo ad lumen extrahunt fluctuantes de infernis ad superna traducunt. Si cui autem sensuum profunditas significari videatur, habet Theophyl. d. l. per laxationem retis, neque ipsum vero abludit. Implerunt enim hoc propheta Jer. 16, 16. qui dicit: Ecce mitto piscatores multos. Ut discamus in vocatione strenue esse perendum.

18. Et Petri obtemperatio v. 5. in quo est compellatio: Et respondens Simon ait praeceptor. Ultra quippe anni spatium viderat Petrus verbi Christi multas & magnas virtutes. Hinc nominat ipsum Praeceptorem & praefectum. Ut cognoscamus titulum esse honoris & gloria, non dedecoris & ignominiae praepitorem. Et Lucas saepe utitur hac voce; ubi reliqui habent vocem Rabbi. Alias
etiam

etiam vocatur didascalus Matth. 22, 36. Joh.
13, 13. doctor Joh. 3, 1.

19 Et declaratio, ex argumento di-
versorum & contrariorum, ubi antece-
dens: Per totam noctem nihil cepimus.
*Quicquidem homo, inquit Taulerus sine
Deo laborat, totum nox est, nec aliquid capit.
Quasi dicat, si labori ascribi aliquid possit,
magnus fuit usq; ad defatigationem, quod de-
notat ἡπιδέξεν, aliquid cepissemus; Isthic
sumus raro piscatores, & multo minus in alto
maris, sed in littore. Verum in hoc presens vi-
ta 1. describitur: nam nox significat vitam
presentem, in qua rara & nulla est vera
scientia, in qua multiplex culpa, & in
qua omnis conspicitur esse poena. Descri-
bitur itaq; hic locus ut poenosus propter abun-
dantiam maris. 2. ut infructuosus propter pe-
nuriam boni. Poenositas denotatur dum dici-
tur laborantes per totam noctem; infructuosi-
tas significatur, cum infertur nihil capimus,
quasi diceret, multum laboravimus, nihil pro-
fecimus, ut ait Bonaventura serm. 89. ubi
subjungit, laborant avari ut vani, quos fati-
gat curarum anxietas, laborant lascivi ut quos
dissolvit peccatorum concupiscentia; laborant*
pigr

gri ut confracti, quos enervat difficultas agendorum. Fit tamen saepenumero, ut & isti discipuli, habet Taulerius, in noctis laborem incidant, puta in derelictionem, in paupertatem & inopiam, & in validas & densas tenebras & desolationem: ita, ut nullum habeant fulcimentum, nullam illuminationem, nullum ardorem sentiant & gustent. Si quis enim ante lucem surgere, & obscurum noctis vult effugere, fallitur: Inordinata excellendi quippe cupiditas, cum humilitate crescendum, fuerat, dum praepropere levatur, in profunda demergitur, quia absq³ benedictione Domini frustra laboratur Psalm. 127, 1. Est qui laborei, & tamen egeat multo magis: Est rursus qui tardus, atq³ operis indignus, quem Dominus benigno oculo respicit Sir. 11, 12. sic Israelitae Sabbatho manna colligentes, nihil proficiebant Exod. 16, 27. sic Laban suis se frustra curis macerabat, Dominus interea Jacobo benedicebat Gen. 31, 7. 9. & 32, 16. Non quasi omnes labores, qui felici successu carent, sint impij ac maledicti, sed quia Deus divites & pauperes fecit Proverb. 22, 2. Et quia melius est paululum iusto, Psalm. 37, 16. melior buccella sicca, Proverb. 17, 1. Idq³ 1. ut magis exerceantur in fide atq³ invocatione, 2. Ne quicquam industria

*industria asscribant. 3. Sed Deo revelent viam
 suam Psalm. 37, 5. Et ab ipso expectent escam
 Psalm, 104, 27. Et deniq³, ut se consolentur in-
 terea certitudine promissionis divina, quod, li-
 cet saepe propter impedimenta varia frustra-
 neam videantur insumere operam, certi nihil-
 ominus maneant, laborem ipsorum in Domi-
 no non inanem fore 1. Cor. 15, 58. sine illo enim
 vel operante ut velimus, vel cooperante cum
 volumus, ad bona pietatis opera nihil valem⁹,
 habet August. de gratia & lib. arbit. c. 17.
 Non quasi sit otiaandum, sed quia & orandum
 & laborandum, unicuiq³ in sua vocatione in
 qua quemq³ Dominus constituit 1. Cor. 7, idq³
 sedulo Sir. 3, 22.*

20. Consequens: tamen tuo iussu
 laxabo rete. Et hoc fiebat propter astantem
 & spectantem turbam, ne vulgarem & natu-
 ralem capturam piscium putarent. Atq³ ita
 Petrus morigerus fuit; nam cum ipsi dixit, ut
 abducerent in profundum, non abnuit, ait
 Theophyl. Sic omnes hominis cogitationes,
 verba & opera, in verbo Dei facienda sunt, ut
 sive comedat, vel bibat, sive dormiat, sive vigi-
 let, seu aliquid aliud agat, cuncta hac ratione,
 id est, in Dei verbo cum simplici obedientia
 pure ad Dei gloriam facere nitatur, ait Tau-
 lerus,

lorus. Idq³ faciebat Abrahamus, qui non dis-
ceptans in fidelitate gloriam dedit Deo Rom.
4, 20. Non enim nostrum est, habet Theo-
dul. in c. 1. ad Rom. poscere causas eorum, que
mandat, nostra interest obedire tantummodo.
Et perfecta obedientia, ait Bernhardus in
tract. de principis & disciplina, legem nescit,
terminis non arctatur, neq³ contenta angustiis
professionis largiori voluntate fertur in lacitu-
dinem charitatis, & ad omne quod injungi-
tur spontaneo vigore liberalis alacrisq³ animi
modum non considerans in infinitam liberta-
tem extenditur.

21. Et miraculum, in quo multorum
piscium captivatio v. 6. ubi antecedens: Et
cùm hoc fecissent. Miserunt quippe jubente
Omnipotente, inquit August. serm. 148. de
Temp. quid potuit aliud fieri, nisi quod ille
voluisset? Faciendam itaq³ est, quemadmo-
dam Petrus fecit, quod Deus mandat.

22. Consequens effectum habet,
quoad pisces: concluderunt piscium multi-
tudinem copiosam. Non quidem per fortu-
nam sed per Dei potentiam: cùm enim Chri-
stus omnia, que vult, faciat in cœlo & in terra,
in mari & omnibus abyssis: hinc Petrum in-
geni piscium copiam exhilarat. Et qui antea

nihil

nihil caperant, magnam in verbo Dei concluderunt piscium copiam, habet Ambros. lib. 4. in Luc. Non hoc facundia humana opus, sed superna vocationis est munus. Cedunt disputationes hominum, fide sua plebs credit. Ac ita dominium exercuit Dominus, omniaque verba sunt amplificantia, quibus miraculi prestantia exaggeratur. Ut discamus, honesta opificia Deo etiam placere. Sic Patriarchæ fuerunt agricola, David opilio, Amos bubuleus, Lucas pictor, Lydia purpurarum venditrix.

23. Quoad rete: rumpebatur autem rete eorum. Nempè propter multitudinem, Augustin. Tract. 122. in Johan. inquit: rete ruptum propter significanda schismata; post resurrectionem autem Christi, ubi 153. pisces caperant Joh. 21, 11. non rumpitur, quoniam tùm in illa summa pace sanctorum nulla erant schismata, quod idem habet serm. 4. de diversis. Et si non essent retia scissa, inquit idem serm. 148. de Temp. schismata non essent commissa.

24. Et sociorum convocatio v. 7. in quo effectus invocando, ubi modus in genere: Et annuerunt sociis seu consortibus, ut Syrus habet. Atque ita non efferuntur fortunâ: siquidem non tantùm pro nobis, sed pro ali-

is et-

is etiam panem quotidianum rogamus. Et
 eur, inquit Chrylost. cum panem non mihi
 vel tibi, sed nobis dare petas, panem egenti da-
 re denegas? Dispergit, dedit pauperibus Psal.
 112, 9. ait Spiritus Sanctus.

25. In specie; qui erant in altera na-
 vi. *Quæ autem est illa navis?* querit Am-
 brosius in fine lib. 4. super Luc. Nisi fortè
 Judæa, ex qua Iohannes & Iacob alleguntur.
 Sic itaq; de Synagoga ad navim Petri, id est,
 ad Ecclesiam convenerunt. Et soli Apostoli,
 inquit Theophyl. non possent trahere rete
 piscium, annuuntq; sociis suis, & communi-
 cant, & cum eis trahunt. Qui autem sunt Pa-
 stores & Doctores Ecclesie in singulis tempori-
 bus qui interpretantur & docent Apostolica,
 trahuntq; cum Apostolis, ut piscentur ho-
 mines.

26. Impulsus: ut venirent & juvarent
 ipsos, seu apprehenderet cum illis. *Quodo-
 cetur concordia & unanimitas, dñ alter alte-
 rum juvat, alter alteri succurrit. Ita monent,
 quo simus æquè concordēs.*

27. In præstando in genere: Et ve-
 nerunt. Non sunt difficiles & morosi, sed
 succurrunt officiosi. Ut discamus idem auxi-
 lium præstare prompti, quod nunquam fecis-
 sent,

sent, si invidi fuissent Sir. 12, 9. Contra dilexerunt, quia succurrerunt opere 1. Joh. 3, 18. Nihil verò sic probat amicum quam onera amici portare August. serm. 21. de verb. Apost.

28. In specie, ab effectu absoluto: Et impleverunt ambas naves. *Quæ verò sunt duo navigia?* inquit Augustinus serm. 5. de Diversis populi duo, quibus populis duobus tanquam parietibus duobus lapis angularis factus est Dominus, ut eos in se conjungeret è diverso venientes. Venit enim populus Iudaeorum ex circumcissione, venit ex præputio populus gentium, & ab idolis ex diverso venerunt, sed in Christo concordaverunt. Vocat ex Iudæis, qui erant propè, & ex gentibus, quæ erant longè.

29. Modificato; ita ut mergerentur? Id est, ad submersionem premerentur, habet August. serm. 4. de diversis. Non enim submersa sunt illa duo navigia, sed periclitata. Unde periclitata? multitudine piscium. Significatum hinc, quia per multitudinē, quam collectura erat Ecclesia, periclitatura erat disciplina. Quod & Salvianus ait libr. 1. contra avaritiam. Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta est, & crescentibus filiis mater agrotat; facta quæ est Ecclesia profectis

M

faciunt

*fecunditatis infirmior atq; accessu relabens,
 & quasi viribus minus valida.*

30. Partim spiritualis piscatio, ubi occasio, & ibi Petri supplicatio v. 8. in quo causa impulsiva: quod cum videret Simon Petrus. Nam cum prater opinionem subito ditatus contemplatur stupenda, unde tanta copia piscium in illo loco? ubi per totam noctem ne unus quidem inventus. Quomodo naves onerate merguntur quidem, sed non submerguntur tamen.

31. Et effectus tum realis humiliatio: procidit ad genua Jesu. quippe eum tanquam Dominum universi agnoscit, & veneratur. Sic & vos, in vestram parvitatem, in vestrum nihil posse, nihilq; valere corruite, nam arrogantem detestatur Deus, Proverb. 16, 5. inquit Taulerus.

32. Et verbalis postulatio, dicens: discede à me Domine. Agnoscit quippe Petrus divinam potentiam & majestatem, suamq; indignitatem. Non quidem Christum rejicit Matth. 8, 34. nec deserere se capit, uti Capernaite Joh. 6, 66. Interim tamen loquitur non satis prudenter: uti & alias sæpè lapsus est, quando passionem impedire voluit, & propterea Satan dictus est; quando in mari ambula-

re cu-

re cupit : quia nunquam peccare supra hominem est, & solius Dei, habet Greg. Orat. 26. de grand. vastar.

33. Et ratio ; quia homo peccator sum. Atq; ita non confundor, inquit Ambros. libr. 3. de virg. peccata propria confiteri confundantur, qui persequuntur me, sed ego non confundor. Non confusus est Petrus dicere : Exi à me Domine, quia peccator sum ; interim, inquit Ardentius, indiscretè loquitur Petrus, dum se peccatorem agnoscit & venia fontem à se excludit. Ut discamus humanam naturam Dei majestatem ferre non posse, uti patet ex exemplo Israëitarum Exod. 20, 19. Luc. 1, 12. Et Zacharias turbatus est, videns angelum, & timor irruit super eum. Discamus etiam humiles nos esse debere & agnoscere nostram imbecillitatem. Proinde, inquit idem Ambros. lib. 5 ad c. 5. Lucæ dic & tu : Exi à me Domine, quia peccator sum.

34. Et perturbatio. v. 9. In quo effectus accidentalis, quoad Petrum ; stupor enim circundederat eum. Uti fieri solet in insperatis & inopinatis. Tanta quippe est humana nature imbecillitas ; Ita Adam & Eva terræ facti Gen. 3, 8. Israelite Exod. 20. 17. Daniel agrotat ob visionem Dei, Dan. 8, 18.

Ezechiel exspirabundus in terram cadit
Ezech. c. 1, 2. Zacharia obmutescit Luc. 1, 12.

35. Quoad alios: & omnes, qui cum eo fuerant. *Nec enim solus timuit, licet solus petierit, omnes terrae facti, quia omnes peccatores. Ergo mediatorem Christum retinere, non iubere, ut discederet, debuisse.*

36. *Causa impellens: super capturam piscium, quam ceperant. Ut quae erat praeternaturalis & talis, quam sperare non poterant; atque ita summa imbecillitas non capit miracula divina.*

37. *Et ratio, ubi vocationis declaratio v. 10. In quo amplificatio desumpta à subjectis diversis, quae partim nominantur: similiter autem Jacobum & Johannem. Ut qui fuerant socij piscationis, & aliàs Petro conjunctissimi & Christo familiarissimi Matth. 17, 18. 26, 37. Ut discamus testes aptos esse adhibendos.*

38. *Et designantur à relatione respectu originis: Filios Zebedæi Pro quibus petiit Mater Matth. 20, 20.*

Respectu societatis: quiq. erant socij Simonis, conversati quippe invicem, uti in aliis, ita & in laboribus.

39. *Christi compellatio in genere:*
 Et

Et ait ad Simonem Jesus : ne metuas. *Id est, noli timere, meum consortium non gravabit, sed sublevabit, non nocebit, sed iuvabit, ait Ardens. Estq; vox dulcissima Christi ad omnes contritos peccatores pertinens. Missus enim est, ut allevet contritos corde, & consoletur lugentes Esa. 61, 1. Ergo dic & tu, exi à me Domine, quia peccator sum: ut respondeat tibi Dominus: Noli timere, indulgenti Domino peccatum fatere, ait Ambros. lib. 5. in Luc. c. 5.*

40. In specie ab effectu futuro, per comparisonem allegoricam: Posthac homines capies. Hoc enim *ἄρχειν* denotat, quod declarat Syrus, dum inquit: Capies homines ad vitam: de peccatore fies predicator, pro navi reges Ecclesiam, pro reti predicationem. Inde exclamat Basilus Seleucensis Orat. 30. *O verè consilium excelsum & sapientiam immortalem, rem peregrinam & doctrinam novam, deq; cælo allatam politiam, cum mortales instituisset edocere, & ejusmodi doctrine idoneos quereret ministros; despexit urbes, populos non circumscripsit, regni ministeria repudiavit, divitiarum potentiam detestatus, exosam habuit vim Rhetorum, non Philosophorum linguas optavit, gentes præcur-*

M 3 rebat,

rebat & neq₃ armorum apparatus, neq₃ ma-
 nuum dexteritatem delegit, neq₃ ad cursum
 pedum celeritudinem. Vos, inquit, venatum
 venio, piscatores, non reges, quero, nautas, non
 dynastas, adhorror. Quiescant igitur, habet
 August. serm. 128. de divers. Apost. & diffe-
 rantur isti paululum quiescant, non omittan-
 tur non contemnantur, sed aliquantulum dif-
 ferantur, ne possint gloriari de semetipsis in se-
 metipsis. Da mihi, inquit, illum piscatorem, da
 mihi idiotam, da mihi imperitum. Ut cogno-
 scamus efficaciam Evangelij non pendere à
 carnis sapientia 1. Cor. 4, 7. neq₃ à nobilitate
 & potentia hominum 1. Corinth. 1, 27. Non
 quasi sperneret ista, sed ut doceret se posse ista
 prestare. Alias enim non Spiritus Sanctus do-
 cuisset in effusione mirabili Pentecostali eos-
 dem talia. Neq₃ est, quod glorientur quidam
 de piscatorum simplicitate, cum non possint
 gloriari de Spiritus Sancti donorum multipli-
 citate. Neq₃ Apostolos eos ablegavit in uni-
 versum mundum, priusquam donavit lin-
 guarum & magnalium Dei thesaurum. Po-
 tius notanda piscatorum sedulitas, nam in ver-
 bo laborandum 1. Tim. 5, 17. Vigilandum 2.
 Timoth. 4, 5. Quia Episcopatus est opus, non
 dignitas, labor, non deliciae, habet Hieron. 8.
 ad


ad Ocean. opus per quod humilitate decre-
 scas, non fastigio intumescas. Et August. lib.
 29. c. 19. de civit. Dei. Episcopatus nomen est
 operis, non honoris. Præterea observandum,
 quod de Petro non solum apud Mattheum,
 verum etiam de omnibus Petri sociis dicitur,
 quod piscatores hominum, qui sunt sinceri Ec-
 clesia Doctores Jerem. 16. 16. neque est diver-
 sitas in vocatione realis, sed tantum acciden-
 talis.

41. Et eventus seu obtemperatio v.
 II. In quo antecedens: Et subductis in ter-
 ram navibus. Hoc est, terrena terra addu-
 cunt. Ut doceant, quid sit faciendum in no-
 va vocatione. Non talem in Dominum ora-
 tionem habebant, inquit Baïli9 Seleuc. Quid
 nos, mi homo, cum undis colluctantes irrides?
 quid ridiculariis vocibus arumnas nostras lu-
 dificaris? Victum per mare querentes cernis,
 ipsaq; ars, quam despiciabiles simus, predicat.
 Ediffere nobis, quibus profusis ante ora homi-
 num divitiis, eos conciliaturi sumus? an dis-
 rupta monstrabimus retia? & populos fera-
 rum instar adhamabimus? An vocabulis
 nauticis regum amicos tractabimus? In
 piscium, non hominum, piscatu artem exercu-
 M 4 imus.

imus. Nihil tale locuti, nihil meditati, sed
re ipsa habeo verbi Christi tracti sequebuntur.

40. Consequens: relictis omnibus
secuti sunt eum. Tracti enim miraculo, ha-
bet Basil. Orat. 30. tracti promissione, tracti
interna inspiratione, mox Dominum sequun-
tur. Neq; enim vocationem imaginariam
arbitrabantur, neq; promissionis magnitudo
inclinabat eorum spes. Admirare potius, ha-
bet Theophyl. Domini dispensationem, quo-
modo per propria & familiaria sua quem-
piam attrahat, sicut Magos per stellam, ita per
piscis piscatores. Ut prudentiam discamus
in vocando. Quod si ergo vocet Deus, obtem-
peremus. Nam quae relinquimus, centuplum
recipiemus, uti promisit Matth. 19, 9. Luc. 14,
26. Qui vero hoc in casu patrem plus amat,
non est ipso dignus Matth. 10, 37. Unde Cy-
prianus serm. 5. de laps. Relinquenda erat
patria & patrimonij facienda iactura, ut
Christus non relinquatur, salutis ac sedis eter-
nae iactura timeatur. Decepit enim multos
patrimonij sui amor caecus, nec ad receden-
dum parati aut expediti esse potuerunt, quos
facultates suae velut compedes ligaverunt. Illa
fuerant remanentibus vincula, illa catena,
quibus virtus retardata est. & fides pressa, &
mens,

mens vincula, & anima preclusa. Ut serpenti terram devoranti praeda & cibus fierent, qui terrestribus inhaerent. Ita Iosephus fratres admonet, ut in Aegyptum venientes suppellectilem non attendant. Interim tamen non plane omnia reliquerunt Apostoli, sed ad tempus saltem, quia post Resurrectionem Domini etiam suarum rerum curam habuerunt & sua navigia, sua retia & alia instrumenta piscatoria usurparunt Joh. 21, 37. 8, 11. His ergo, habet August. Tract. 122. in Johan. quos hoc movet, respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte sua, licita scilicet atq; concessa, victum necessarium querere, sui Apostolatus integritate servata, si quando, unde viverent, aliud non haberent.



NOTE.

I.

Imminebat turba) Considera quanto fervore turba accurrerit ad audiendum verbum DEI; ut discas, si velis Christum sequi & audire, currendum esse ad eundem, non rependum.

M 5

Per

II.

PER totam noctem laborātes) Con- sidera Petrum cum socijs per totam noctem laborasse; ut discas, frustra tua omnia fieri, si fiant noctu, id est, in statu peccati.

III.

RELICTIS omnibus cum secuti) Considera piscatores relictis omnibus maluisse Christum sequi; ut discas, aequè mundana relinquere, Christumq; se vocaverit, sequi fideliter.



CASUS.

An pisces in alieno lacu vel stagno capti jure fiant capientis?

Afirmandum videtur: 1. Hic Petrus retinuit Luc. 5, 6.

2. Expresse habetur quòd pisces etiam in privato lacu versantes, non possideant.

deantur ab eo cuius est lacus l. 3. §. 14. ff. de acquirend. vel amittend. possess.

3. Ferae fiunt occupantium cum antea nullius. l. 3. ff. de acquir. vel amittend. possess. Cujac. 4. observat. c. 2. Sixtin. lib. 2. de Regal. c. 18. n. 24.

Contra negandum 1. quia hic Petrus non solus retinuit, sed & sociis dedit, Luc. 9. 6. 7.

2. Ferae asserunt, quod pisces sint quidem ferae naturae, & tamen dominus piscinae & stagni proprietatis & possessionis jure sibi vindicet l. 3. §. 14. ff. de acquirend. vel amittend. possess.

3. Quia prohiberi potest, quod minus quis in lacu nostro piscetur l. 33. §. ult. ff. de injur.

4. Consuetudo ita testatur Bocerus de poenis furtor. c. 2. n. 89. Hunnius in resolut. ad Treutl. dif. 18. th. 2. q. 24. & lib. 2. variar. resol. tr. 1. q. 13.

2. Ad contraria. 1. Retinuit Petrus quia cepit in mari, quod est omnium. Et ita, dum non additur ipsum prohibitum esse

esse quò minus inibi piscaretur. Ubi autem nullum inerdictum mare manet juris publici, ex Gen. 1, 28.

Ad 2. aliud est possidere, aliud dominium habere: non enim valet argumentum à possessione ad dominium, quum illud interdum facti, hoc semper juris l. 12. ff. de acquirend. vel amittend. possess. Et quamvis Cujac. de feris, aliud esse asserat ut dominium earum citra possessionem haberi facile non possit, earundemq; amissa possessione, dominium quoq; amissum censeatur, tamen petitur principium: quandoquidem fera licet ex possessione nostra abscesserint; si verò oculos non effugerint, nec impossibilis sit earum persecutio, cēsentur in nostro dominio §. feræ Inst. de rerū divis. Et Harprehti ratio valet, dum sunt pars aquæ & fructus ex piscationib; constat, & ex aqua, ut fructus nascentur arg. l. fines 15. ibi Bartol. ff. de act. empr. Guido Papæ decis. Delph. n. 91. etiam pro sententia nostra facit: unde si

habe-

habeantur, & multiplicentur & creseant, sunt pars fundi & habentur inter immobilia, Knichen in comm. de jure Saxon. non provocan. c. 5. n. 154. Quemadmodum ergo, qui fructus in alieno agro diripit restituere cogitur, sic & qui pisces in alieno stagno ex l. 22. C. de rei vindicat.

Ad 3. quod fiant fera occupantium: sed alia ratio est piscium, alia ferarum, quia haec non tenentur solo, uti illi aqua. Unde & piscium Imperator non meminit in §. nostra verò. unde jus piscandi acquiri potest per prescriptionem & potest prohiberi aliis l. si quicumque 7. ff. de divers. temp. praescripti & l. praescripto 45. ff. de usurp. & usucap. qua prohibitione spreta ab alio, qui piscatur, tenetur injuriarum actione l. injuriarum 13. in fin. ff. de injuriis Georg. Mohr. de nigro monte in tract. de jure venandi, part. 1. c. 5. n. 20. Medices de piscat. q. 22. n. 7. Pruckma. de venat.

part. 1. c. 1. n. 26.

An

An ars Lottariæ (der Glücks
Topff) concedenda?

Afirmativa defenditur 1. quia hic Pe-
tri piscatura à divina pendeat bene-
dictione, & licet antea per totam noctem
laborasset, tamen nihil profecerat Luc.
5, 5.

2. *Lusus est licitus. Ego & ista ars,*
l. 1. ff. de alcatorib.

3. *Non est prohibita, neq; divino,*
neq; humano jure, uti habet Adam Kel-
ler lib. 2. de offic. juridico politi c. 23.
& in disq. Magic. lib. 4. c. 4. q. 2. Del.
Rio.

Contra 1. Unusquisq; debet mane-
re in sua vocatione, uti Petrus donec evo-
cetur: & ex labore manuum suarum vi-
vere, Corint. 7, 17. Eph. 4, 28. 1. Theff.
4. 11.

2. *Est lesio sepius ultra dimidiū, que*
de jure prohibita l. 2. C. de Rescind. ven.

3. *Non est modus in jure præscriptus*
acquirendi.

4. *Lusus aleæ ex fortuna prohibi-*
tus

tus l. 1. ff. de aleæ lusu, &c. Et nomen
aleatorum pro infami habetur, l. 225. ff.
de V. S. final. §. 1. ff. de qua re actio
non danda.

5. In quibusdam locis interdicitur
planè.

6. c. 41. & 42. dist. 35. Epi-
scopus, aut presbyter, aut diaconus, alea at-
que ebrietati deserviens, aut desinat, aut
certè damnetur.

7. Interest Reip. ne quis re sua ma-
lè utatur. De his qui sui ut alieni juris
§. 3. Clarus lib. 6. sent. voce ludus, n. 1.
Rauchbar. part. 2. q. 25. n. 24.

Ad Contraria. 1. Petrus fecit offi-
cium, sed non semper sequitur commodum
ex officio, vel ob peccata, vel ob impedi-
menta alia: nec enim externus ille finis est
manu agentis.

Ad 2. Lusus est licitus, sed quoad
edulia tantum, l. quòd in convivio ff.
de aleator. Et non tantum prohibetur
ob blasphemias, quæ occurrunt, sed etiam,
quia fortuna, quæ nulla, committitur,

nam

nam & hic homines solent sua perdere, l. fin, C. de relig. & sum. fun.

Ad 3. Licet non manifestè prohibitus, tamen neq; mandatus: jam in jure quod non concessum videtur prohibitum: & tamen quum lusus in genere prohibetur, etiam iste; quod enim de genere dicitur, idem de specie, nisi sit expressè excepta.

Ad 3. autoritates per autoritatem repelluntur.

Ad 4. Magistratus interdum quiddam concedit, sed non probat; nec omnia, quæ probat, nisi juri & Scripturæ conveniant, sunt probanda. Quæ de conditionibus afferuntur sunt talia, ut potius improbent quàm probent hanc artem.

Quæ verò de contractu, habet Garcia & Lopez. de contract. 2. c. 23. sunt talia, quæ potius ad emptionem & venditionem per sortem pertinent quàm ad hanc artem, ubi pro 50. aureis petuntur mille, quod injustissimum. Videatur Molina

part. 2. de instit. dis. 509. Schluß-
selburg. in Dedekenn.

par. 2. n. 13.



Ceu mare Genesareth Citharam presen-
tat, & inde

Nomen, sic Christo gratius illud erat.

Turba frequēs urfit, quoties, audiret ut ipsum,

Hunc prope Genesareth littora sepè stetit.

Sicq₃ duas naves quum vidit adesse, lavare

Et piscatores retia fortè sua.

Ingressus navim Simonis, duceret inde

Hunc rogat, & sedet hac ipse, docetq₃ suos.

Finiit ut, jussit Simonem ducat in altum,

Retia piscatum laxet ibiq₃ sua.

Sed Petrus: ab totam noctem, Præceptor, id
actum:

Sed frustra: quia vis, retia laxo tamen.

Ut factum, conclusa fuit quæ copia piscis!

Retia propterea rupta fuere Petri.

Ergò vocat socios adiutum navis alius:

Quum veniant navim prorsus utramq₃ re-
plent.

Petrus at ista videns supplex, hæc dixit: Iesu.

Ab discede, eluo crimine plenus homo.

Obstupefactus enim: simul omnes terror ha-
bebat,

Copia quod piscis prodigiosa nimis.

Gens

Gens Zebedæa fuit consors. Petre, dixit Iesus,
Post homines capies, ne metuisse velis.
Navibus in terras hinc ductis, omne relin-
quunt

Desubito sequitur quisq; vocatus eum.
Iesu non discede, sed ab accede, precamur,
Te bene succedit, Christe, iubente labor.
Talia Fiedlerus proponit. Talia pergat!
Fiedlerusq; Dei na citharædus erit.

ita optat

Gueinzius.

Probo atque assiduo RESPON-
DENTI S.

DIVITIAS fidicen quarit, dum chro-
mata doctis
in fidibus plectro versicolore facit.

Ille tamen tenues carpit, cui dissonat tantum
aures obstrepero murmure chorda ferit.

FIEDLERUS fidibus fidei pia cantica sacris
pangēs, DIVITIAS quarit amatq; SACRAS.
Hinc EVANGELICAS decantat pectine gazas,
dum PISCATURÆ munera mira refert.

Perge fidem fidibus, FIEDLERE, sonare
canoris!

Hæc pandura Tibi Nomen opesq; feret.

ευμεινέσσει & scrib.

M. Frid. Cahlenus Poëta Cas.
Gymn. Conr.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13



VITIARUM
GELICARUM

visitio XXXVI.

PRÆSIDE
ANO GUEINZIO

mnasii Hallensis

Rectore

Respondente

GIO FIEDLERO,

lebieni Saxone.

a V. post Trinitatis.

O. R. cl. Isc. IIII.



LLIS SAXONUM

redum Melchioris Oel-

schlegely

Dr. V. H. H.

